

d) Renan omnes sanctos ac legatos divinos pro *stultis, insaniis atque improbis* habet. Apologiam ac laudes canit Cain, Saul, Judae, ipsiusque satanae; sed impudenter sugillat David, S. Joanem evang., S. Paulum et alios.

David latronem, tyrannum luxuriosum, prophetas demagogos turbarum auctores, praestigiatores, dementes, impostores vocat. Ipsum Dominum Jesum Christum modo juvenem rusticum simplicem, modo rabbinum ingeniosum et humanum, nunc fanaticum ac delirum, nunc sapientissimum, nunc pium ac sanctum, nunc fraudulentum ac moribus suspectum describit. Apostolos partim fatuos ac fanaticos habet, partim impostores, Paulum indoctum sed argutum, rationis contemptorem, superbum, inhumanum, contentiosum dicit. Apostolos et sanctas mulieres in suspicionem criminum vocat.

e) Opera Renani *pugnis* abundant.

E. g. Eliam tum ideam prophetae specie humana indutam, et historiam ejus legendam (Hist. d'Isr. II. 284. 287.), tum historiae sacrae auctorem dicit (Ibid. II, 288.). Deutero-Isaiam propter metum magistratum Chaldaeorum alieno nomine prophetasse censet (Hist. d'Isr. III. 454.); at mox asserit, eum post ruinam imperii Chaldaeorum vaticinatum esse. (Ibid. III. 473.) Religio Christiana dicitur mundum tyrannis subjecisse (Vie de J. 141.); at alibi legimus a Christo verae libertatis fundamenta posita esse. (Ibid. 315.) Originem religionis Christianae e Talmude esse cognoscendam (Vie, 7.), ex eo Talmude, cuius narrationes de Christo fabulae ridiculæ, ab adversariis religionis Christianae fictæ et omni auctoritate carentes dicuntur. (Ibid. 387.) De Jesu Christo quam contraria Renan loquatur, supra diximus. Accedit, quod Renan saepe ex libris a se rejectis argumenta depromit.

f) Renan magnam *scientiam affectat*, sed revera nec antiquitatis, nec linguarum biblicalarum valde peritus est, neque fontes religionis Christianae penitus perscrutatus est. Non claritate ac vi argumentorum, sed effatis apodicticis, gravitate simulata, declamatione pathetica et vano verborum strepitu indoctis ac stultis imponit. Sermo ejus facetus et petulans, quo vulgus profanum ac leve delectatur, lectoresque incauti decipiuntur. Opera scatent locutionibus: fortasse, fieri potest, sic rem cogitare possumus et aliis similibus. Revera sub nomine historiae fabulas frivolas scribit, quibus vulgi consectetur laudem, incredulitatis ac scelerum excusationem quaerentis.

Renanum multi *refutarunt*. Ita in Gallia peculiares libros contra eum ediderunt: Dupanloup, Poujoulat, Meignan, Freppel, Pater Felix etc.

Conf. Moser, M. Renan et la critique, La controverse et le contemp. 1886. Juin, 230. — Deinde in Germania: Michelis, Renan's Roman vom Leben J. Münster, 1864. Seb. Brunner, Der Atheist Renan, Regensb. 1864. A. Baumgartner, S. J. Stimmen aus M. L. 1893. t. XLIV. 265—284. — Ex protestantibus: Ewald, Keim, Hengstenberg, Delitzsch etc.

3. — *Theoria additamentorum et evolutionis*. Famosissimus aetatis nostrae theologus rationalista est *Adolphus Harnack*, professor Berolinensis. Theoria ejus, quae nec systematica est neque constans, et multas doctrinas antiquas ac novas complectitur, partim ad originem librorum sacrorum, partim ad vitam Christi et ortum religionis Christianae (imprimis dogmatum et ecclesiae) pertinet.

Harnack supernaturalia a priori infitiatur, et vera miracula impossibilia habet. Studio monumentorum antiquitatis convictus vetustatem fontium religionis Christianae canonicorum et patristicorum traditione probatam agnoscit.¹ Specialiter docet evangeliis synopticis, saeculo I-o (etsi non ab apostolis nec a testibus) scriptis, traditionem vitae Jesu contineri, per enthusiasmum discipulorum additamentis miraculosis, dogmaticis et disciplinaribus auctam. Pleraque epistolas Paulinas authenticas dicit. Religionem autem Christianam ex evangelio Christi, judaismum reformantis, regnum Dei Patris et charitatem imprimis praedicantis, ortam, et per plures aetates evolutam esse. Evangelium illud a discipulis dogmate redemptionis, et institutis primitivis auctum, a Paulo universale factum; novamque hanc religionem ineunte saec. II-o

¹ »Die Zeit ist vorüber, in der man die älteste christliche Literatur, einschliesslich des Neuen Testaments, als ein Gewebe von Täuschungen und Fälschungen beurtheilen zu müssen meinte.« (Gesch. der altchr. Lit. I. p. VIII.) »Die Voraussetzungen der Baur'schen Schule sind, man kann fast sagen, allgemein aufgegeben.« (Ibid. p. IX.) »Wir sind in der Kritik der Quellen des ältesten Christenthums ohne Frage in einer rückläufigen Bewegung zur Tradition.« (Ibid. p. X.) »Die älteste Literatur der Kirche ist in den Hauptpunkten und in den meisten Einzelheiten, literarhistorisch betrachtet, wahrhaftig und zuverlässig.« (Ibid. p. VIII.) »Der chronologische Rahmen, in welchem die Tradition die Urkunden angeordnet hat, ist in allen Hauptpunkten von den Paulusbriefen bis zu Irenäus richtig, und den Historiker zwingt, von allen Hypothesen in Bezug auf den geschichtlichen Verlauf der Dinge abzusehen, die diesen Rahmen negiren.« (Ibid. p. X.) »Es ist der historisch-kritischen Arbeit zweier Generationen (seit Strauss) gelungen, die Geschichtlichkeit der drei ersten Evangelien in grossem Umfange wiederherzustellen.« (Wes. d. Christ. V. Aufl. 14.)

dogmatica, disciplina cultuque instructam et in ecclesia incorporatam esse.

Harnack epistolas S. Pauli annis 47—64. scriptas esse censet, at pastorales postea refectas, ep. ad Hebr. spuriam. Evangelia synoptica esse opera historico-dogmatica, in essentia fide digna (non factionum opera), stylo teste prima religionis Christianae aetate Judaica scripta; nominatum Marcum et Matthaeum ab auctore Galilaeo (an. 65—70. et 70—75.), Lucam et Actus a Graeco (an. 78—93.). Eodem fere tempore nonnulla edita esse apocrypha. Evangelium quartum esse opus Joannis presbyteri (discipuli Joannis apostoli), an. 80—110. ex traditione depravata et opinione aetatis scriptum, sermones et facta Christi fingens et ideam *λόγον* Platonicam inducens. Evangelia primum fuisse localia, a provinciis ubi legebantur nominata (Ev. secund. Hebreos, sec. Aegyptios), demum initio saec. II-i nomine apostolorum ornata, circa an. 120—140. in Asia minore collecta (tetramorphon), et circa an. 200. ad exemplum Marcionis, pro Ant. Testamento rejecto novum theologiae fundamentum ex illis constituentis, pro inspiratis accepta.

Evangelia tamen canonica de sententia Harnackii multa *additamenta* falsa continent. Talia sunt a) historia infantiae, b) narrationes miraculorum et vaticiniorum imprimis resurrectionis, c) loci, qui de ecclesia et hierarchia agunt (e. g. Matth. 16, 18. 18, 18. 28, 19.).

In origine horum additamentorum vitae Christi Harnack primas partes *enthusiasmo* tribuit. (Fictionem consultam et mendacium non admittit.) Christum virum sapientem et sanctum habet, eloquentia, gratia personae ac majestate discipulos allicientem et quasi fascinantem, ab iis pro Messia promisso acceptum, ab adversariis perfectum. Deinde dicit, inter discipulos et primos fideles multos fuisse extaticos, prophetas seu homines concitatos, hallucinantes, somniantes, fanaticos, qui visiones viderent, et non tantum futura, sed etiam facta Jesu praeterita revalarent. Ita vitam Jesu novis narrationibus esse auctam, ad eum maxime finem, ut probaretur, antiquum testamentum in Jesu Messia esse implementum. Facta ergo ad exemplar vaticiniorum, saepe falso sensu (Judeorum) acceptorum ficta esse, et postea vicissim vaticinia Christo applicata. Et primos Christianos, alioquin mysteriorum cultores, has falsas revelationes sine ulla censura acceptasse.

Quoad *miracula* Harnack sequentia docet. Aetate Jesu et apostolorum, virum naturae atque constantiae earum apud omnes gentes ignara, immediatam deorum in mundum efficaciam esse creditam, et omnes eventus insolitos miracula habita, virisque magnis statim post mortem ejusmodi mira afficta. Ea autem, quae referuntur, miracula

Christi esse a) eventus naturales auctos vel tropice narratos, b) ad exemplum vaticiniorum factos (mythos), c) figurae imaginationis (projectionem actionum internarum), d) effectus virum psychicarum, aut e) causarum incertarum vel virum naturae ignotarum. Miracula autem, quae naturaliter explicari non possunt, non evenisse.

Ita nonnullos mythos esse posse in historia infantiae (quae in corpore evangeliorum et a Paulo ipsisque Christi cognatis ignoretur). Sanationes plerasque viribus psychicis (i. e. actione animae in corpus et alias animas) esse effectas. Obsessionem fuisse daemonomaniam, cuius formam morbi animi (Gemüthskrankheiten) per fidem obsessionis tunc vigentem acceperint, qui hodie quoque praecepto viri gravis et fiducia optime sanentur. Persuasionem discipulorum de resurrectione ex imaginatione apparitionum ortam, ut corpus glorificatum Christo redivivo attributum probet. Ceterum ipsum Christum miraculis nullam vim tribuisse.

De sententia Harnackii *religio Christiana* est opus evolutionis, cuius tria momenta distinguuntur: doctrina Jesu Christi, discipulorum, et ecclesiae.

Doctrina Jesu nec a rabbiniis (quorum vocabulis non utitur), nec ab essenis (quibus vita et praecepta Jesu contraria sunt), neque ex philosophia Graeca (quae ad Jesum non pervenerat), deprompta est. In essentia eadem est, ac prophetarum, traditionis et theologiae Judaeorum (pharisaeorum), tamen eatenus nova, quod doctrinam corruptam reformavit, a ritibus externis purgavit atque efficacem reddidit. (Sed in his Harnack identidem sibi repugnat.) Argumentum doctrinae Christi (evangelii) fuit sequens. a) Adventus (parusia) regni Dei a Judaeis exspectati, interni, regnum diaboli (mundum) debellantis, miseriam ac peccatum tollentis. b) Paternitas Dei ac providentia et infinitum animi humani pretium, unionis cum Deo et vitae aeternae capacis. c) Vera justitia (virtus) interna, ab observantiis atque cultu vacua, et charitas proximi. Maxima novitas in charitate sita est. Evangelium ergo est bonum nuntium, religio universalis et aeterna, dogmatis (praeter existentiam Dei), legis ac formarum expers, non religio positiva, non philosophia, nec doctrina theoretica, nec secta, neque cultus, et ideo cum quavis philosophia conveniens. Jesus se hominem professus est, ducem ac judicem hominum, deinde Messiam non mere politicum, sed morum reformatorem, quem etiam Judaei exspectabant. Filium Dei se tantum eo sensu dixit, quod ipse primus paternitatem Dei cognoverit et revelaverit. Aliam fidem, quam observantiam praeceptorum atque exempli non postulavit; perfectionem doctrinae Spiritui Sancto commisit.

etas discipulorum a Harnackio duplex distinguitur: *Judeo-christiana* (*Palaestinensis*) et *religionis universalis* (*Paulina*). Post mortem Jesu discipuli societatem religiosam constituisse dicuntur, in qua fides mortis Christi expiatoriae (*redemptionis*), resurrectionis atque ascensionis (*assessionis*) orta sit, et redditus Christi proximus exspectatus. (*Semina christologiae*.) Fidelibus cum Deo immediate conjunctis cultu externo et sacerdotibus opus non fuisse. Novam autem aetatem institutam esse a Paulo, qui religionem Christianam a judaismo avulserit, et universalem fecerit. A Paulo doctrinam *redemptionis* objectivae et gratiae excultam, novas vires imperio Romano additas, et fundamenta culturae Christianae posita esse. Dehinc christologiam evangelio praevalere coepisse, et quum religio quasi corpore indigeret, constitutionem, disciplinam cultumque ad eam accessisse. Apostolos post multas luctas internas doctrinae Paulinae consensisse.

Ineunte saeculo secundo Christum cum logo confusum esse et influente philosophia Graeca (imprimis Platonica), theologiam dogmaticam natam, disciplinam, cultum ac sacerdotium exculta. Inter pugnas cum gnosi necessitatem formularum et definitionis dogmatum obvenisse. Sensim etiam ecclesiam, tamquam institutum ac depositarium religionis ortam, et ita catholicismus esse natum. A quo in Graecum et Latinum diviso evangelium corruptum esse, a protestantismo utique nativae puritati restitutum.¹

4. — Ad haec sequentia respondemus.

- a) *Miracula fieri atque cognosci posse*, philosophia demonstrat.
- b) Quattuor *evangelia et Actus* esse opera apostolorum horumque discipulorum, introductio (praeter argumenta interna) firmissimis antiquitatis Christianae testimonis probat. Alioquin etiam epistolae Paulinae et partes synopticorum ab ipso Harnack agnitive, abunde sufficiunt ad omnia ejus placita refellenda.

Historia testatur, quattuor evangelia jam ineunte saeculo II. in tota fere ecclesia cognita ac recepta fuisse, apostolis vel eorum discipulis adscripta, et pro inspiratis habita. Evangelia provinciis propria propter commercium ecclesiarum non poterant suis finibus exiguis diu contineri. Joannes presbyter, cui evangelium quartum (et *Apocalypse*) adscribitur, ab apostolo non differt.

¹ Scripta Harnackii praecipua: Das N. T. um d. Jahr 200. Frbg. 1889. Lehrb. der Dogmengesch. III. Aufl. Freib., Leipzig. 1894—97. Das apost. Glaubensbekenntniss, XXVI. Aufl. Berl. 1893. Gesch. der altchristl. Literatur bis Eusebius, Leipzig. I. und II. Th. 1893—97. Die Pfaff-schen Irenäusfragmente, Leipzig, 1900. Das Wesen des Christenthums, Leipzig, 1900. V. Aufl. 1901.

c) Perperam quaedam *partes evangeliorum* aliis *recentiores* dicuntur. Nam praeterquam quod illae arbitrario distinguuntur, eadem testimonia, quae evangelia saec. I-o extitisse probant, una demonstrant antiquitatem partium illarum apostolicam. Ex miraculis argumentum novitatis vel ideo frustra dicitur, quod ea in epistolis quoque memorantur et agnoscantur, quas Harnack authenticas habet. Ita I. Cor. 15, 3. sq. S. Paulus ad resurrectionem Domini ut factum historicum provocat.

d) *Theoria enthusiasmi* primos Christianos insanos ponit, etquidem tum eos, qui facta bona fide fixerint, tum eos, qui ea pro veris acceperint. Deinde vera extasis homines sana mente non privat, nec hallucinantes efficit, ut exemplum prophetarum et aliorum sanctorum docet. Si aliquis abusus extasis invaluerit, eum S. Paulus I. Cor. 14, 34. 37. II. Cor. 11, 14. Gal. 1, 8. coercuit. Ceterum si Christus nihil, nisi merus homo fuisse, mirabile esset, homines ab eo tanta extasis contagione esse infectos.

e) *Viventibus testibus* oculatis facta supernaturalia sive consulto sive inconsulto fingere fuit *impossible*. Testes enim hujusmodi figmentis certe contradixissent. Atqui non contradixerunt; imo apostolis e. g. de veritate resurrectionis Domini, ut ipse Harnack fatetur, persuasissimum erat. Alioquin figura ad certum finem constanter et systematice composita inconsulta esse non possunt.

Harnack exempla fictionis factorum adducit: narrationes apocryphorum et scriptorum ecclesiasticorum de infantia et passione Christi. Sed illae non omnes sunt fabulae, imo multae illarum forsitan e traditione vel scriptis fontibus, nunc injuria temporum perditis, sunt haustae, aut merae conjecturae. Quae revera figura sunt, ineptiis et doctrina haereticam originem plerumque produnt. Omnes autem ejusmodi sive traditiones, sive fabulae sunt aetate testium oculatorum multo recentiores (e saec. II. vel III.).

f) In explicatione miraculorum Harnack *theorias causarum ignotarum*, interpretationis naturalis et mythicae, supra refutatas *repetit*. Assertio autem ejus, nullam vim ab ipso Christo miraculis tributam esse, synopticis et S. Paulo repugnat.

Falso dicitur tempore Christi ideam legis naturae defuisse et eventus naturales saltem insolitos a miraculis distingui non potuisse. Nam etiamsi talis confusio errorque in rebus occultis ac rariss adfuerit, in rebus obviis: pane, vino, caecitate, paralysi, morte etc., in quibus Christus miracula faciebat, certe non adfuit. (Recole supra p. 279. dicta.) —

Quidquid sit de viribus psychicis, id plena inductione certum est, iis talia, quae Christus egit, effici non posse. Phaenomena daemonomaniae ab obsessione multum differunt. Et cur praeter Jesum et discipulos alii viri graves ac mites eos manicos sanare non potuerunt? Ceterum plerumque nec simplex mania iis, quibus Christus usus est, sine vi divina sanari potest modis. Apostoli Christum redivivum saepius videbunt, audierunt, tetigerunt, cum eo cenarunt; atqui homines sani eodem tempore multi simul hallucinari, et pro figmento imaginationis mori non possunt. (V. supra p. 281. sqq.) Visiones Pauli experientiae ceterorum apostolorum non aequiparantur. — Si miracula ad probandum vaticiniorum eventum ficta dicuntur, theoria mythica renovatur supra (p. 298. sqq.) refutata. Neque fictionem ad additamenta restringendo scopuli mythorum evitantur. Additamenta enim illa, non minus quam totius fictio historiae evangelicae, oblivionem vitae Jesu, ergo plures generationes interjectas requirunt.

g) Jesum dogmata, leges, ritus, ecclesiam non instituisse, filium Dei (sensu dogmatico) se non dixisse, religionem non nisi internam et moralem condidisse, nullam fidem postulasse, doctrinamque ejus cuique philosophiae convenire, — mirum quam temere asseruntur. His enim omnibus tum synoptici, tum Paulus centies contradicunt. Sane terminologiam, codicem legum, et modum cultus divini Christus non tradidit, sed ecclesiae demandavit; verum essentia dogmatum, legum ac rituum evangelii continentur. Ipsa vox *λόγος* longe aliud apud Joannem, quam apud Platonem significat.

h) Falsum est, *religionem Christianam a discipulis* et eorum successoribus *effectam esse*. Essentiam enim ejus a Christo acceptam, quae de cetero tota SS. Litteris consignata non est, retinuerunt, sed ex mandato Christi et juvante Spiritu S. eam ad effectum adduxerunt, eique formam ac modum addiderunt. Actus apostolorum probant, religionem Christianam cum suis dogmatibus, legibus, ritibus essentialibus et sacerdotio statim post effusionem Spiritus S. exstitisse. Nulla vera Christi doctrina demonstrari potest, quae doctrinae ecclesiae repugnet.

i) *Methodus Harnackii* est falsissima. Originem enim et evolutionem religionis atque ecclesiae imaginatione confingit, contra expressa fontium biblicorum et aliorum testimonia. Facta a priori format, vel certe theoriae suae conformat. Quae autem sententiae suae non favent, ea additamenta declarat. Sic autem fabulae scribuntur, non historia.

k) *Religio illa* mere interna, quam Harnack essentiam christianismi habet, *Christianam dici non potest*. Omnia enim tamquam additamenta religione Christiana eliminat: dogma, legem moralē, disciplinam, cultum, ecclesiam, adeo ut praeter fidem Dei et charitatem proximi vix aliud ex ipsa religione naturali remaneat. Haec autem est dissolutio religionis Christianae ac negatio.

Conclusio.

Historia rationalismi biblici docet, omnes conjecturas ad historiam ac religionem biblicam naturaliter explicandam adhibitas esse, omnesque vias tentatas. Nulla tamen conjectura rem rationabiliter explicare potuit, immo omnes theoriae rationalisticae ad absurdum deductae atque convictae sunt. Unde apparet, verum Biblorum sensum et veram historiae religionis interpretationem non esse, nisi supernaturalem.

Historiam rationalismi biblici tractant: A. Tholuck, Vorgeschichte des Rationalismus, 1853—62. Geschichte des Rationalismus, 1862—65. — Seb. Brunner, Die vier Grossmeister der Aufklärungs-Theologie (Herder, Paulus, Schleiermacher, Strauss). 1888—91. — Cornely, Introd. gener. Paris. 1885. p. 712—732. — Vigouroux, Les livres saints et la critique rationaliste, Paris, 1886. imprimis vol. II. — Wetzer-Welte, Kirchenlexicon, II. Aufl. Freiburg, 1882—1901. sub nomine theologorum rationalistarum.